

Johann Quistorp

**Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius D. & Theol. Facult.  
Senior. Ad Johannis Alberti Gammen, Theologiae Studiosi crudeliter ante aliquot  
septimanas confossi funus, Quod moestißimus pater filio paratum cupit, Ad  
mediam primam in templo Mariano omnes Academiae cives amice invitat**

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777448009>

Druck Freier  Zugang



Qvistorp, J.,  
in J. A. Gamm.

Rostock.1640.

28.







RECTOR  
*Universitatis Rostochiensis*  
JOHANNES QVISTOR-  
PIUS D. & Theol. Facult.  
Senior

AD  
JOHANNIS AL-  
BERTIGAMMEN, Theologiae

Studiose crudeliter ante aliquot septima-  
nas confossi funus, *v. Rost. Abhandl.*

*Quod maestissimus pater filio paratum cupit,* *a. 1742. p. 599.*


Ad mediam primam in templo  
Mariano omnes Academiae cives  
amicè invitat.



ROSTOCHII;

---

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XL.



Um vir cordatus intue-  
tur mores & vitam juventutis  
Academicæ, quales hoc no-  
stro seculo apparent, fieri non  
potest, quin animo cogitet,  
ore clamet, O tempora, O mo-  
res. Etenim si redeamus cogitando in memo-  
riam ejus ætatis quæ nostram antecessit, haud  
dubie deprehendemus mutationem, quæ nec  
ea ætate fingi à quoquam potuisset, nec fidem  
inventura fuisset, si quisquam prævidisset ac  
prævisam fando explicasset. Quis enim finge-  
re esset ausus, quis prævidere, prædicere, quis  
deniq; credere, futurum aliquando, ut Studio-  
sus pietatis, cultor virtutis, honestatis & mo-  
destiæ, professus amorem literarum, sapientiæ,  
scientiæ, liberalium & ingenuarum artium,  
sux conditionis non humanæ tantum, sed &  
literariæ & pietatem professæ sensum ac memo-  
riam omnem adeo planè deleteret abjiceretq; ex  
animo, ut se nec hominem quidem esse memi-  
nisset, quia planè in belluam degenerarit ac fe-  
rinos mores abjectis humanis induerit, qui  
pro studio pietatis, numinis ac legis divinæ  
con-

contemptum, pro virtutis, honestatis & modestiæ cultu, vitiorum contrariorum sordes ac turpitudinem, pro literarum elegantium, sapientiæ, scientiæ, artium ingenuarum, quæ mores emolliunt, nec feros esse sinunt, amore, militarem ferociam ac barbariem vultu ac gestu profiteri non erubescat. Et tamen ea in tempora sumus redacti, ut & mores istos videamus, & juventutis vicem doleamus magis, quam emendare, serio ac sedulo studeamus aut etiam possimus. Nimirum *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* De causa hujus mali forte an utile esset quærere, non minus quam de causa morbi epidemici urbem populosam infestanti: sed hujus hoc temporis non est: Fructus, quem hæ arbores ferunt, ante oculos quotidie versantur, & sensim ita crescunt, ut ne cognatum quidem sanguinem haurire scelerato ferro impia manus & parricidialis erubescat: quod facinus perpetratum est hujus anni mense primo, die tertio decimo, ab infelici bipede ( Studiosum enim vel hominem appellare fas non videtur, imò nomen quoq; silentio obliterandum putarem, nisi publicis tabulis jam proscriptum fuisset) JOACHIMO WILANDO, adversus juvenem innocentissimum consobrinum suum, JOHANNEM ALBERTUM GAMMIUM, quem



natura fraternó amore complectendū ei com-  
mendaverat. Sed vigilat Nemesis, vigilat ocu-  
lus Dei vindex, nec dum conscientia infelicissi-  
mi hominis obdormire potuit, aut si paululum  
forre conniveat, ut furia, sic suæ ei & vehemen-  
tius quidem, occurrent injuriæ, quæ nec respi-  
rare quietum patientur. His illum hoc quidem  
tempore commendabimus, & ad GAMMIUM  
fato miserabili defunctum nos convertemus,  
Is natus est Gnoia in hac nostra Megapoli An-  
no 1618. die 12 Decembr. ex parentibus piis &  
honestis. Pater DAVID GAMME Senatorii or-  
dinis Vir prudentissimus: Mater ELISABETA  
Wlandes mulier pietate & virtute singulari  
prædita, Avus paternus Reverendus Vir Dn.  
JOACHIMUS GAMME pastor Ecclesiæ Gra-  
boviensis fidelissimus: Avia paterna GERTRU-  
DIS Randow / Reverendi Viri Dn. M. LUCÆ  
RANDOVII pastoris Ecclesiæ S. Marianæ hac  
in urbe filia legitimis nuptiis procreata, Avus  
maternus fuit JOACHIM Wland / Illustrissi-  
mi ac celsissimi Ducis Dn. VLRICI Princi-  
pis Megapolitani p. m. vestiarius aulicus. Avia  
materna ELISABET Hoppe. Videmus hujus  
adolescentis majores utriusq; sexus pietate, pro-  
bitate & aliis virtutibus ornatos: neq; natum  
ex iis degenerem filium deprehendimus. Post-  
quam

quam enim per lavacrum regenerationis mystico Ecclesiæ corpori infertus esset, ac prima pueritia defunctus, ludo literario, qui in patria erat, parentes eum commendarunt & institui curarunt usq; ad annum hujus seculi trigessimū tertium, quo Suerinum est missus, sed in isto ludo ultra annum non substitit: Inde Gustavo-vium commigravit ad biennium, & eo absoluto ad Hamburgense Gymnasium Anno trigel. sexto se contulit, eiq; se toto triennio informā-dum tradidit. Anno trigel. nono ad maternam Universitatis nostræ curam, institutionem ac tutelam se contulit, & quidem non infeliciter studia sua auspiciatus est, cum neq; discendi cupiditate, neq; ingenii capacitate destitueretur. Mores etiam præ se ferebat, quibus facile omnes familiari usu sibi notos conciliabat. Quod & hospites & inter Studiosos amici, quin & ipsi, quorum opera est usus, præceptores vere se testari posse profitentur. Et hæc auspicia feliciorum quoq; progressum promittebant, cum hostis humani generis infelicē consobrinum ejus incitat, ut hoc anno 1640. die decimo tertio Januarij, qui Hilario sacer est in Calendario, huic autem nostro parum hilaris illuxit, innocenti & fraterno sanguine parricidiales manus pollueret inter horā 7 & 8 vespertinam

& immani ac plusquam lethali vulnere confossum, sine ulla causa, humi publica in via sterneret, unde miserabilis adolescens neq; ipse surgeret vivus, nec ab aliis levare posset, quin animam in vestigio exhalaret. Hoc igitur exitu juvenis pius, probus & eruditus vitæ suæ finem invenit, miserabili quidem, si specie tenus & ex vulgari opinione res æstimetur, sed aliter judicat à Spiritu Sancto rectius informata ratio. Qui enim subita, & hujus quidem generis, morte intercipiuntur, ut omnes absolvi non possunt, ita nec damnari. Vita inspiciatur ante acta, quotidianæ poenitentiae usus, fructus ex vera fide nati ac veræ poenitentiae indices, quis ei homini quamlibet subito fato oppresso, coelestis regni hæreditatem abjudicet. Per sarum veterum lex & mos laudabilis olim fuisse leguntur, ut ex ante acta vita reo in judicium adducto sententia diceretur: Si enim bona ejus facinora numero vincerent, candidum absolutionis calculum referebat; Si mala, nigrum. Certe speramus & caritas quæ suspicax non est, ut omnia, ita & hoc credit, hunc juvenem violenta, licet morte defunctum, beatorum coetui in coelo adjunctum esse; quia & apud nos quamdiu vixit, pie vixit, bonum certamen certavit, fidem retinuit, neque conscientiam data adyer-

adversario occasione violavit. Neq; ergo ulla  
violentia felicitatem futuræ vitæ vel tollere vel  
minuere potest, cum sciamus homines Deo oq;  
rissimos hunc gladio, alium igni, alium alio  
modo ex hac vita exturbatos, homines, quibus  
mundus indignus erat, quorum in oculis Dei  
mors preciosa erat, licet ipsi mundo abomina-  
biles *me in dā pūla*, ut Apostolus loquitur, & *neg-*  
*ψηφα* viderentur. Non ergo subita, non violenta  
mors à regno cœlorum excludet, quem Servatori  
suo vera in eum fides commendat: Illius vitam sum-  
mo dolore & lacrimis dignam judicamus, qui Sa-  
tanæ vinculis constrictus ambulat, hujus adeo in-  
dignæ cædis nefarius autor, ex quibus ut aliquando  
liberari possit, pro affectu Christiano ex animo pre-  
camur. Vos vero juvenes Academici hoc nimis  
triste exemplum intuemini, & quanto in periculo  
ferocia vestra versetur, considerate. Gladiis armati  
inceditis: cui bono, aut usui, cui fini? Defensio-  
nis nimirum & inculpatae tutelæ causa. Quid ergo  
sibi volunt nocturni clamores, stricti etiam in filices  
gladii, provocationes infestæ, pugnae indistinctæ,  
duella quasi per facialem denunciata? Circa puteū  
saltatis, O juvenes, imò circa abyssum infernalem,  
hostis est humani generis, qui vos ad periculosum  
saltum, imò lapsum invitat, qui inlubrico sit facill-  
mus. At honos noster hic agitur? Quis enim vel  
madidi alicujus nautæ, vel ferocientis caculæ cõtu-  
meliam ferre & concoquere potest sine vindicta?  
Sero si hæc dicitis, judicium vestrum desidero.  
Estis enim, certè esse debetis divinæ & humanæ sa-  
pientiæ Studiosi: Hoc ergo vobis divina, hoc hu-  
mana

mana sapientiae studiū dicitur vel imperat? Vultis  
vobis à Deo remitti longe maximos gravissimorum  
peccatorum cumulos, vos homini imperito, qui le-  
vissime dicti pulvere vos conspergit, gladium in-  
tentatis: imo ne consperfit quidē prior, sed respon-  
dit posterior. An Servator noster, an ejus discipuli  
etiam graviter laesi ad vindictam provocarunt? Ne  
humana quidem sapientia, si vel maximē divina scri-  
ptura nostras vires esse videatur, nos aliter do-  
cet, cujus nescio studium quomodo ex ordine no-  
stro sublatum sit. Ita sane friget, ut vel ipsa glaciem  
possit frigidiorē reddere. Sed quid ego hanc mo-  
vōi cōtaminam, inamabilis veritas odium parit.  
Vos potius, juvenes Academici, adeoque cives  
omnes moneo & hortor, ut humanitatis, cōditionis  
& officii vestri memores id quod estis, esse velitis.  
Homines estis, non bruta, pietatis & modestiae  
Studioſi, non plebs & vulgus promiscuum sordi-  
dumq;: legibus Academicis fidem juratam dedistis,  
quod Rectoris hortātis ad honesta & officij vos ad-  
monentis auctoritatem comiter agnoscere & obe-  
quium ei debitum praestare velitis: Id si revera pra-  
stabitis, laudem habebitis obedientiae & conscien-  
tiam tranquillam: sin minus, nihil ego quidem  
gravius addam, sed iudicium suum quisq; portabit.  
Quanto autem frequentius ad hujus beati juvenis  
exequias (humabitur autem in aede S. Johannis ho-  
die hora media i pom. conventu ad Mariae templum  
indicto) comparebitis, tanto magis vestrum de a-  
trocifacinoſe iudicium, & Christianam erga defun-  
ctum condolentiam declarabitis, imo & propriae  
conditionis memoriam vobis renovabitis. P. P.  
Rostochii, XXVI. die Martij c1o 1706 XL.  
Sub Sigillo Rectoratus.












adversario occasione violavit,  
violentia felicitatem futuræ vitæ  
minuere potest, cum sciamus ho-  
rribissimos hunc gladio, alium ig-  
modo ex hac vita exturbatos, h-  
mundus indignus erat, quorum  
mors preciosa erat, licet ipsi mu-  
biles *περὶ ἀγάθη*, ut Apostolus  
*ψυχο* viderentur. Non ergo subita  
mors à regno cœlorum excludet.  
suo verà in eum fides commendat:  
mo dolore & lacrumis dignam jud-  
tanæ vinculis constrictus ambula-  
dignæ cædis nefarius autor, ex quib-  
liberari possit, pro affectu Christiani-  
camur. Vos vero juvenes Acad-  
triste exemplum intuemini, & qua  
ferocia vestra versetur, considerate  
inceditis: cui bono, aut usui, cui-  
nis nimirum & inculpatae tutelæ ca-  
sibi volunt nocturni clamores, stridi-  
gladii, provocationes infestæ, pu-  
duella quasi per facialem denuncia-  
saltatis, O juvenes, imò circa abyssi  
hostis est humani generis, qui vos  
satum, imò lapsum invitat, qui inhi-  
mus. At honos noster hic agitur  
madidi alicujus nautæ, vel ferocien-  
meliam ferre & concoquere potest  
Serio si hæc dicitis, iudicium ve-  
Estis enim, cerrè esse debetis divina  
pientie Studiosi: Hoc ergo vobis



ulla  
evol  
oaoq  
alio  
ibus  
Dei  
ina-  
regi-  
lenta  
atori  
sum-  
i Sa-  
oun-  
ndo  
pre-  
minis  
culo  
mati  
nfio-  
ergo  
lices  
ive-  
uteu  
lem,  
osum  
cilli-  
n vel  
otu-  
eta?  
ero.  
e fa-  
c hu-  
ana